

82  
291  
153  
823  
CD1113

Thunberg, C.

Illustratio animalium Sveciae...

[1823].



75. 64.  
D. D.

ILLUSTRATIO ANIMALIUM SVECLÆ  
RARIORUM

QUAM

VENIA. EXP. FACULT. MED. UPSAL.

P R Æ S I D E

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.  
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND.  
HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET  
CIV OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR  
BEROL ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT.  
GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELD. OECON. ET INST. LITT. ZE-  
LAND. NIDROSIENS. TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. ET HORTICULTUR.  
REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MON-  
ACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL.  
ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET  
PETROP. MEDICÓ CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT.  
PARIS. ET INSTITUT NATION. MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN.  
SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

LAURENTIUS GUST. TIGERHJELM

Nobilis, Smolandus.

IN AUDIT. BOTANICO DIE IX JUNII MDCCLXXXIII.

P. A. M. S.

UPSALIÆ

Excudebant PALMBLAD ET C.



591.9485

KONUNGENS

TROTJENARE, LIEUTNANTEN

VÄLBORNE

HERR SVANTE G. TIGERHELM

SANT

VÄLBORNA

FRU M. B. C. TIGERHELM

född T O T T I E

H u l d a s t e F ö r ä l d r a r !

Den sonliga tacksamheten kan aldrig nog värdigt belöna Fadershjertats och Modersömhetens hulda omsorger: men oaf-  
lättligt bör den söka uppnå detta sköna mål. — Må då denna tacksamhetens, vördnadens och kärlekens blygsamma gård, som utgör det första bladet i Vetenskapernas segerkrans, också utgöra mitt första bemödande att förljusva de bästa Föräldrars ålderdomsdagar!

EDER

Lydigaste son

LARS.

---

ILLUSTRATIO ANIMALIUM SVECIE  
RARIORUM.

---

**A**lit omnis terra et plantarum et animalium species sibi proprias et sæpe adeo peculiare, ut nullo alio in loco inveniantur. LEONES frustra in America quærimus, quam tamen DASYPI et RAMPHASTOS species omnes et singulæ patriam suam agnoscunt. Ipse CANIS, adeo Homini familiaris, et EQUUS *caballus*, animal Europæorum utilissimum, ante Americam detectam, numquam in hac Orbis terraquei parte inventus fuit, vel domesticus, vel ferus. Insula Oelandia, in mari Baltico sita, sola est, quæ varietatem equorum perpusillam nobis suppeditat; et Lapponia, vastissima illa et montosa Sveciæ provincia, tam plantas, quam insecta, nullibi extra illam detecta nobis reliquit. Sic ubique Optimus Creator beneficia sua sparfit, et stationes animalium atque vegetabilium sapientissime ordinavit.

Homo vero, uti ultimum, ita et dignissimum Creatoris opus, qui omnia climata perferre potest, qui æque sub ardenti Sirio, ac sub arcto vivere valet, non paucas Animalium species, imprimis e Mammalium et Avium clasibus, suos in usus, mansuefacere scivit, et ex aliis terris allatas, quasi indigenas reddere. Huc referre possumus Equos, Boves, Capras, Oves, Phasianos, Melea-

grades, ceteras, in commoda et utilitatem nostram maxime necessarias.

Animalia viventia, sentientia et voluntarie sese moventia non adeo, ut Vegetabilia radicibus suis terræ infixæ, secundum beneplacitum suum circum ambulare valent ac e loco in locum migrare. Migrantia itaque dicta fuerunt animalia, quæ quolibet anno, ex instinctu naturali, sæpe immensa copia, longiores transmigrations instituunt. Hoc respectu inter Mammalia innotuerunt imprimis ANTILOPE *pygargus*, in Capite bonæ spei Africes: MARMOTA *Lemmus* in Scandinaviæ alpibus: et in Sibiria, MURES varii; inter Aves plurima et integra fere Genera, imprimis ex Aquaticorum Ordinibus, quæ a calidioribus Zonis advenientia æstatem in ultima Septentrione transigunt, et autumnò ad calidiores regiones revertunt, ut exempli gratia ANSERES, *Anates*, *Ciconiæ*, *Grues*, *Hirundines* et *passeres* plurimi. Inter PISCES, fere omnes e lacubus et vasto Oceano littora appropinquare cõguntur, ad ova sua in aquis magis calidis et tranquillis deponenda, quale stupendum sane exemplum nobis præbet SALMO et HARENGUS, ut in retia et insidias sapientis hominis, numero non determinando, quin non numquam stupendo, incidant.

Sed præter annuas hæc migrationes Animalium, accidit quoque interdum, ut species quædam, intra certam quandam provinciam habitantes, habitacula sua extendant, et in regiones adjacentes sensim emigrent, ac sponte sese multiplicent, eadem omnino ratione, ac si ab incolis essent introductæ et cicuratæ. Hæc est ratio, cur numerus animalium specificus ubique crescere possit, et omnis regionis Fauna sensim augeri atque ditari. A

*Rege Frederico* in Oelandiam insulam, e Germania Sus *Aper* sive ferus, anno 1723 introductus fuit, qui tamen hodie omnino extinctus est; a Domino *Alstroemer* olim quoque introducta fuit *Capra angorensis*, quæ potius ab *Hirco* diversa est species, quam varietas, cornibus suis spiralis et pilis longissimis crispis. Et huc forsitan referri possunt *Cervus Elephus* et *Dama*, *Lepus cuniculus*, tam vulgaris, quam *angorensis*, *PECORA* et plures *AVES* domestici.

Sic facies mutari facile potest cujuslibet Faunæ; et sic quoque mutata fuit Fauna nostra Svecica, magis magisque ditata et aucta, post tempora Magni *Linnaei*, et post editam a Summo hoc Naturæ Scrutatore Faunam Svecicam. Nec parum novis indagatis animalculis ampliatus fuit Patriæ dilectæ Catalogus. Tantum modo inter Insecta recentioribus annis detecta est tanta copia, ut nostra non permittat per gressum omnia hæc nova et antea incognita enumerare. Nostrum erit non nulla tantum recensere, aliisque relinquere numerosas illas species, quæ laudanda industria Dom. PRÆSIDIS, nobilissimi Dom. *Paykull* et imprimis infatigabili opera Entomologi, in Svecia certe summi, Dom. *Gyllenhal*, Viri de hac Scientia meritissimi, descriptæ fuerunt.

*CANIS melaleucus*: In Fauna LINNÆI Svecica ne minima quidem rarioris hujus animalis Sveciæ mentio occurrit, licet ab aliis Auctoribus *Vulpecula nigra* commemententur, ut a *SCEFFERO* in *Lappon. Illustr.* p. 340, et a *LEEM* *Lappon.* p. 193 et licet *vulpecula nigra* nomen non omnino ignotum sit in borealibus Scandinaviæ provinciis. Probe tamen observandum, quod hocce provinciale nomen datum fuerit etiam *CANI lagopo*, colore



adeo varianti, ut hieme sit omnino niveus et æstate variet colore vel cœrulescente cum cruce dorsi anterioris nigra, vel magis fusco cum vel sine cruce humerorum. *Vulpes niger* (black fox) a PENNANTIO, Synops. of Quadrup. p. 235. commemoratur ut varietas *Vulpis vulgaris*. Pennant quoque p. 241 describit Vulpem quendam *argentatum* (Silvery fox), Louisiannæ incolam, insigni abundantia in antris terræ habitantem, colore tamen obscure bruneum, sic ut vero simile sit, quod a nostro longe diversa sit species. CUVIER *Vulpem argentatum* (Renard argenté et Renard noir, ex America septentrionali Regn. Animal. I. p. 155.) ut propriam speciem descripsit, diversam tam a *Cane vulpe*, quam a *Cane lycane*. Prof. NILSSON in Fauna Scandinaviæ enumerat CANEM nigro-argenteum p. 91. Desideratur vero omnis descriptio, cum Celebris Auctori nondum contigisset, vel animal ipsum, vel ejus pellem videre et examinare. Vulpeculæ nigræ, saltem quoad nomen, licet non sint in Scandinavia incognitæ, sed hinc inde, præsertim in maxime borealibus regionibus notæ; vero tamen videtur simile, hocce nomen sæpius CANES *lagopus* nigricantes indicare. Nuper ejusmodi species, sub nomine Vulpeculæ nigræ, e Lapponia Holmiam misa fuit, quæ, ut nobis asseruit Dom. DALMAN, non nisi *Lagopi* fuit varietas; et Præses meus etiam hoc anno e Jemtlandiæ alpinis oris individuum *Lagopi*, sub nomine vulpis nigri habuit, totum valde fuscum absque omni cruce dorsali.

An itaque CANIS *melaleucis* noster ante initium hujus seculi in Svecia inventus fuit, valde incertum est, nec absolute a nobis affirmari potest. Post vero initium hujus, quod vivimus, seculum et imprimis post duo illa, quæ versus præteritis seculi finem, ac post initium hujus eurrentis, gesta fuerunt in Finlandia bella, in Verme;



landia visa & occisa fuerunt plura ejusmodi Animalia, quæ *Vulpeculæ nigrae* nomen acceperunt. Num vero non nulla ex hisce fuerint *CANIS Lycaon*, ut vult Dom. NILSSON, affirmare non audemus; sed nulli dubitamus; quin *Canis* noster *melaleucus* inter illa numerari possit. Celmeus Præses hoc anno satis fuit felix, per Dom. FALCK in Vermelandia supremum, inque Svecia unum e celebratissimis Venatorem, integram et cum Cranio omnino illæsam, prætiosam pellem, pro Museo Academico acquirere. Et, ni omnia nos fallunt, quod quidem videtur simillimum vero, plura hujus animalis individua, a tormentorum sub bello tonitru perterrita ad Lapponiæ tractus, & inde ad Vermelandiæ subalpinas regiones profusa se receperunt, sensimque prolem suam ibidem multiplicarunt.

Speciminis, quod in Museo Upsaliensi conservatum habetur, iconem sistimus & descriptionem sequentem:

*CANEM vulpem* statura et magnitudine maxime refert. *Cane lupo* autem multo est minor.

*Corpus* in genere atrum, pilis basi fuscis, apice atris; in dorso postico, lumbis, genis et colli lateribus albis vel niveis ipso apice. *Pilorum apices* albi vix unguem longitudine superant.

*Cauda* cylindracea, recta, dependens, pedibus posticis paullo longior, tota atra pilis medio fuscis, basi coeruleiscentibus; apice alba, vel nivea.

*Pectus et abdomen* tota nigra, immaculata.

*Pedes* omnes antici atris, postico latere fusco-brunei.

*Palmae* et *planta* villosae totae, tetradactylae.  
*Ungues* fulvae, parum apice curvatæ, unguiculares.

<i>Mensura</i>	ab apice nasi ad basin caudæ, pollic.	34.
	<i>Caput</i> ab apice nasi ad basin auricularum	6.
	<i>Auriculæ</i> extus atræ, intus brunneo-fulvæ et rotundatæ, erectæ	2½.
	<i>Pedes</i> anteriores	10.
	— posteriores circiter	9.
	<i>Tarsi</i> posteriorum	5.
	<i>Cauda</i>	17.
	<i>Caudæ</i> apex albus ultra	2.

*Canis Lycaon* a Pr. NILSSON in Fauna Scandinaviæ I. p. 59. inter animalia patriæ nostræ numeratur. Dicitur rarum hoc Mammale sæpius in Vermlandia, initio hujus seculi, occisum, forsan cum *Melaleuce* e Russia per Lapponiam usque ad Vermlandiam transfugum.

Russiæ tractus boreales patria ipsius sunt, unde sub bello in Finlandia a Rege Gustavo III gesto pellem sibi acquisivit celebratissimus, Saceræ Reg. Majest. Archiater Primarius et Eques Dom. P. von AFZELIUS.

**SCIURUS** *vulgaris* ♂ *albus* aservatur in Museo Academico, ad *Kungör* occisus semel, admodum rarus, omnino immaculatus. Var. *s. maculatus* etiam rarior occurrit in Uplandia et Helsingia, rufus et albo-maculatus, maculis majoribus.

**SCIURUS** *Striatus*, a Dre. BLOM descriptus exstat in Actis Holmensibus.

**OVIS aries:** ♂ polycerata cornibus quatuor, usque sex non infrequens in variis Sveciæ provinciis occurrit; communis erit in Gottlandia, quadricornis, cornibus grandioribus plerumque & lana crassiori; alibi & præprimis in Uplandia vulgaris est varietas quadricornis, lana mediocris pretii. Sexcornis specimen videre est in Museo Academico, quod e Carolicorona urbe habuit D. Præses. Cornua in nonnullis basi plus minus conata inveniuntur, diversa sæpe directione et flexione, quædam acuta, alia obtusa et quasi detrita.

**MURES** inter, tres species nuper detectæ fuerunt; *arvalis* in agris Uplandiæ non infrequens, cognoscenda auriculis vellere brevioribus; — *decumanus*, magnitudine Ratti, et *agrestis*.

**VESPERTILIONIS** species non nisi duæ, in Svecia diu fuerunt notæ; nuper vero plures novæ detectæ sunt imprimis in Scania ut *Noctula*, *pipistrellus*, et *barbastellus*.

**FALCO lagopus** LINN. Syst. Anim. p. 260. sine dubio rara in hisce terris avis, occisa fuit in Ostrogothia ante aliquot abhinc annos.

**FALCO lithofalco** LINN. Syst. Anim. p. 278 et *Æsalon* p. 284. uterque hic sexus, in Lapponia, prope Torneâ urbem et alibi, visus fuit et occisus.

**STRIX lapponica**, non nisi in Lapponia Sveciæ huc usque inventa fuit, adeoque rarissima Avis in Mus. Calson. Hic observare quoque debemus, quod **STRIX Scandiaca** LINN. Syst. Anim. p. 287.

non alia sit, quam varietas *Strigis mycleæ*. Describitur quidem in Characterere specifico corpus albidum; sed in descriptione inferius adjicitur, quod maculis nigris insignita sit, eodem omnino modo, quo hanc speciem demonstrat figura Rudbeckiana, ex qua speciem assumit illustr. LINNÉ.

**STRIX** *liturata* asservatur in Museo Grilliano ad Söderfors.

**CORVUS** *Laponicus* ut videtur a *Corvo pica* distincta species et a *PICA candida* BINSONII etiam diversa in silvis borealibus Sveciæ habitans, circa Torneå urbem, dum hiemis frigus intensius, rarius versatur.

**PICUS** *Canipes* a *pico viridi* omnino distinguendus et *PICUS leuconotus* a *pico Majori* etiam separandus, duplicem novam constituunt speciem, quæ Favianam Scandinaviæ intrare debent.

**CRUCIROSTRA** *pinetorum* et *abietina*, quæ antea sub nomine *LOXIÆ Curvirostræ* notæ fuerunt et quæ in Pinetis Sveciæ non admodum vulgares occurrunt, ut duæ satis differentes species haberi debent et possunt.

**EMBERIZA** *mælbyensis* et *Parus Sæbyensis* novæ sunt avium species, in Svecia recentiori ævo detectæ et in Museo Carlsoniano depictæ atque descriptæ.

**STERNA** *Caspica*, a Celeb. Polyhistore SAM. ÖDMANN, in oris maritimis extra Holmiam observata, atque cum multis aliis avibus maritimis descripta, numerum avium Sveciæ adaugere debet,

uti quoque STERNA *canescens* et *minuta*, ANAS *dispar*, et *histrionica*, ANSER *Cinereus* et *ruficollis*, CYGNUS *Gibbus* seu *Olor*, LARUS *Glaucus*, *Cinereus*, *ridibundus* et *minutus*, COLYMPUS *glacialis*, *parotus* et *rubicollis* ad insulam Gottlandiam interdum migrantes.

SCOLOPACIS *gulinulæ* et RALEIS *porzanae* specimina in prato Regio circa Upsaliam aliquoties occisa fuerunt, uti et TRINGA *arenaria*.

ARDEA *minuta* in Vestmania pro Museo occisa fuit ante aliquot annos.

TETRAO *eremita* dictus e Torneã affnibus oris allatus, a *Tetraone Urogallo* colore valde diversus, singularis est vel varietas *urogalli* vel distincta species, quæ Museum Upsaliense exornat.

TETRAO *rupestris*, qui summa cacumina alpium Lapponiæ inhabitat, multum differt a *Tetraone* LAGOPO et rarior in Museis occurrit.

MEROPS *apiaster* meridionali Svecia rarius visus fertur, avis migratoria, uti et forsan adhuc rarior

TANTALUS *falcinellus* ad Gottlandiam quandoque adveniens.

— *Amphibiorum* in Svecia, sub frigidiori cœlo sita, pauca quidem semper numerantur genera. Nihilominus tamen minus sensim indagatæ fuerunt nonnullæ species, antea ignotæ, ut VIPERA *ferruginosa*, ANGOUIS *eryx* et *lineatus*.

*Pisces* inter, forsan plures species adhuc incognitæ ad oras nostras adveniunt, sensim indagandæ et describendæ. Plures dudum recentiori ævo, per industriam

**Prof. QUENSEL**, beati **OSBECKII**, et imprimis per indefesam operam, **Celeberrimi Sveciæ Ichthyologi, Equit. Dn. HOLLBERG**, innotuerunt, descriptæ et elegantissimis iconibus illustratæ sunt ut **PETROMYZON PLANEXI**, **PLEURONECTES QUENZELII**, ceterique.

Insecta in variis Sveciæ provinciis numerosa sunt collecta et descripta, post ultimam Faunæ Linneanæ editionem, per curas laudabiles et indefesum zelum, **Cel. Præsidis, Baron. PAYKULL**, **GYLLENHALII**, **FALLÉN** aliorumque bene meritorum patriæ Entomologorum. Horum vero communicare Catalogum, cum non permittat pagina præfens, necesse erit hunc alii feliciori relinquere honorem.



Wentworth del. C. M. Pizer.







SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



3 9088 01348 8929